

Johann Nicolaus Quistorp

**Quod Felix Faustumq[ue] Deus T. O. M. Velit Esse Ratumq[ue] Collegii Theologici
In Universitate Rostochiensi p.t. Decanus Joh. Nicolaus Quistorpius ... Ad
Disputationem Inauguralem Viri Pl. Reverendi Noblissimi Et Clarissimi Dn.
Bogislai Liebehern ... De Propagatione Fidei Per Ferrum Et Flammas Pro Licentia
Obtinendi Summos In Theologia Honores Et Privilegia Doctoralia Rite
Instituendam Ad Diem VIII. Decembr. Ao. M DCXCVIII. In Auditorio Maximo ...**

Weppling, Johann: Wepplingius, 1698


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77067013X>

Druck Freier  Zugang



Qvistorp, J. N.
ad
disput. inaugural.
B. Liebeherr.

Rostock. 1698.



74

QVOD FELIX, FAUSTUMq; DEUS T. O. M.
VELIT ESSE RATUMq;
COLLEGII THEOLOGICI IN UNIVERSITATE
ROSTOCHIENSI p. t. DECANUS

JOH. NICOLAUS QVISTORPIUS,

TH. DOCT. ET PROF. ORDIN. ADDIV. NICOL. PASTOR;
ET R. MINISTERII ROSTOCH. DIRECTOR
SUO, SUÆQVE VENERABILIS FACULTAT. NOMINE
AD

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

UIRI PL. REVERENDI NOBILISSIMI ET CLARISSIMI.

DN. BOGISLAI LIEBEHERN

COLBERG. POMERANI, ET IN PATRIA VOCATI PASTO-
RIS AD ÆDEM DIV. GEORGII ET NICOLAI DIGNISSIMI,
DE

PROPAGATIONE FIDEI PER FERRUM ET FLAMMAS PRO LICENTIA

OBTINENDI SUMMOS IN THEOLOGIA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE INSTITUENDAM
ADDIEM VIII. DECEMBR. AO. M DCXCVIII. IN AUDITORIO MAXIMO.
HORIS MATUTINIS ET POMERIDIANIS,

MAGNIFICUM UNIVERSITATIS RECTOREM; UTRIVSq;
REIPUBL. AMPLISSIMUM SENATUM, EXCELLENTISSIMOS DN. DO-
CTORES, PROFESSORES, LICENTIATOS, REV. URBIS PRESBYTERIUM,
PHILOSOPH. MAGISTROS, ET OMNEM ILLUSTR. LITERATORUM
AC NOBILISS. STUDIOSE JUVENTUTIS ORDINEM, QVA PAR
EST OBSERVANTIA ET HUMANITATE INVITAT.

Rostochii Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typogr.

CUM JESU OMNIA!



Prætimè Lactantius de verâ sapien-
tiâ Lib. IV. c. 28. Hac conditiones scri-
bit; gignimur, ut generanti nos Deo
iusta & debita obsequia præbeamus,
hunc solum noverimus, hunc sequa-
mur. Hoc vinculo pietatis obstricti,
Deo religati sumus, unde ipsa Re-
ligio nomen accepit. Posito Deo
vero, & positâ simul creaturâ
intelligente, non potest non poni
Religio: Creatura enim intelli-
gens cum à Deo sit condita & destinata ad ipsius gloriam, ad
Eum, tanquam principium suum atque originem, perpe-
tuò contendit. Hinc creatura intelligens quovque iis à
Deo instructa est facultatibus ac subsidiis, quibus ad De-
um sese convertere, ipsumque suum reddere potest. Ut
semina virtutum, ita & semen Religionis sunt in omnium
hominum animis, absque quo callidorum pollicorum
quod dicitur, inventum, de Deorum metu & cultu nil
quicquam valuisset. Religio ut post Deum est res sanctissima
ita & antiquissima: Oportet enim veram Religionem fuisse,
quamdiu fuerint creaturæ intelligentes. Interim *non tem-
pore* inquit ARNOBIUS Lib. 2. *advers. Gentes, estimanda est Re-
ligionis autoritas, sed Numine.* Antiquum id in Religione verâ
est, quod est à Mose & Prophetis, à Christo & Apostolis, id
enim est à Deo, qui est prima veritas, & hoc nos ducit ad
Deum, & facit, ut firmus *Deo quid sit*, redditis, suos sectatores
veri & recti amantes, mansuetos, modestos, beneficos,
tranquillatque adversus quasvis tentationes conscientiam.
Vera hæc Religio durat, atque durabit, quamdiu creatu-
ræ intelligentes erunt, nec vi ullâ aut fraude deleri, vel op-
primi potest, premendo explendescit, & firmi as ejus est in-
vincibilis. Religio vera in universum opus mentis libe-

188

ræ vel animi est, in quam nulli mortalium est imperium; frustra illi vis intentatur ad imprimendas alias de Deo, & rebus divinis persuasiones, quàm quibus per Dei gratiam institutus, aut fortè à pueris ille imbutus est. Etenim siue indolem Religionis Christianæ, siue mandatum & exemplum ipsius Servatoris, qui Discipulos necessariis donis instructos in universum orbem ad illam propagandam ablegavit; siue deniq; statum Civium in Republica contemplamur, violenta propagatio non absurda modò, verùm etiam periniqua est: Etenim Religio res conscientiæ, in quam nullius, nisi Dei, Imperium esse potest. Hinc rectè quondam *Seneca lib. 3. de Benefic. Cap. 20.* scripsit: *Corpora obnoxia sunt & ascripta Dominis, mens verò sui juris, quæ adeò libera ac vaga, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, & in infinitum comes Cælestibus exeat.* Semper etiam homines inter, maximè vero Christianos, superioris Domini obligatio excipitur, cum quis Imperatoribus in terris obstringitur; ita, ut immota hæc regula Apostolica valeat: *Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.* Act. V. v. 29. Optimè ad hæc illustris PUFENDORFIUS in libr. de habitu Relig. Christianæ ad vitam civilem, §. 6. sic differit: *Religio à principio, quod longè eminentius est imperio civili, oritur, eoque validius hominem stringit, quam imperium humanum, nec ab hoc alterationem recipit; unde inutile juxta ac absurdum foret, si futurus civis imperaturo se obstringeret: submitto voluntatem meam voluntati tuæ, etiam in hoc, ut ad arbitrium tuum velim amare, venerari Deum, in Deo confidere, aut plus tibi fidei, quàm Deo, adhibere &c.* Nam huc sumprimis quadrat illud ab Apostolo adhibitum dictum: *oportet Deo magis obedire, quàm hominibus.* Ac si qui summi imperantes ad talia quoque sua Imperia extenderunt, sine dubio potestatis suæ limites migrarunt, & si quid mali eo nomine subjectos obsequium detrectantibus intulerunt, id non pro actu legitimi imperii; sed pro injusto & hostili, aut tyrannico suis habendum. h. u. c. Hæc probe jam suo tempore ob-

servavit Imperator p. m. nunquam fatis laudandus MAXIMILIANUS II. Cujus hoc dicitur fuisse refert optimus N. Gerbardus Loc. Comm. loc. de Magistratu Politic. §. 198. *Nullam esse tyrannidem intolerabiliorem, quam conscientias dominari velle. Qui & in Epist. de sedit. Belgicis scripsit: Eorum actiones, qui suppliciorum crudelitate, sectionibus & uestionibus hanc rem confici posse, defendunt, mihi minimè placent, nec unquam adducar, ut eas laudem, nisi sortè, quod tamen serio deprecabor ne fiat, Deus permittat, ut in furorem & insaniam prolabar.* Nec dominiū in conscientias sibi sumunt ullo modo Doctores Ecclesiæ veræ, ad exemplum PAULI, qui in II. Cor. I. v. 24. apertis verbis inquit: *non dominamur fidei vestra.* Quibus quidem primo promittat, quod videri poterat arrogantius dixisse superiori versū: *parcens vobis.* Et simul objectionem anticipat, quam opponere quisquam poterat. Quid, ergone tam impotenter regeris, ut solo aspectu sis formidabilis? At ista esset non Christiani Pastoris gravitas; sed immanis Tyranni sævitia. Huic objectioni respondet, primum indirectè, negans; rem ita habere; postea directè ostendens, paterni hoc quoque fuisse affectus, quod cœctus fuisset, illos asperius tractare. His E. verbis omnem tyrannidis aut affectati dominiū suspicionem à se removet Apostolus, ne ullam causam habeant Corinthii, Apostolum vel fugillandi, vel aliquid finistri de eo suspicandi: ingenuè enim fateatur, se nihil horum scribere ex affectato, quodam in Corinthios imperio & dominio, quasi ex suo arbitrio vel credere vel vivere cogantur; sed se potius singulari quâdam perfundi lætitia, si officium suum probè faciant, etsi salutaribus præceptis, ac monitis sese obsequentes præstent. Et cum Eorum fidei se dominari negat, significat injustam hanc esse, & minimè tolerandam potestatem, imo tyrannidem in Ecclesiâ. Quam procul autem à more Apostoli & Apostolicorum virorum per aliquot se, ula

secula recefferit CURIA ROMANA, & in quantam ty-
 rannidem degeneraverit piorum veterum in censendis
 hæreticis æquitas, excitatæ à Pontificiis in Ecclesia
 & Republicâ Christiana tragædiæ abundè testantur,
 & cruore irriguis spectaculis plena sunt reformatio-
 nem antegressa, & subsequentiâ tempora. Hodierna atrox
 Reformatorum sic dictorum seu Hugonottarum in Gallia
 persecutio lippis, ut ajunt, & tonsoribus nota est, ad fidem
 in qua nati, enutriti & educati sunt miserissimi subditi Ponti-
 ciæ Religioni non addicti, ejurandam, & ad vim consci-
 entis faciendam, ne concessio quidem lamentabili migran-
 di beneficio. Crudelitatis testes sunt Ecclesiarum mini-
 stri, qui in furcas suspensi, vel naso auribusque trunca-
 ti, triste dant spectaculum. Non sic dominati sunt in con-
 scientias, non sic Christianam fidem propagarunt Aposto-
 li, horumque successores, non convertores adhibuerunt
 equites sclopetarios; sed spiritu lenitatis *erudientes, qui con-*
trario animo fuerunt affecti: 2. Timoth. II. v. 24. prædican-
 tes Christum crucifixum multa hominum millia lucri fe-
 cerunt. Non sic (loquimur cum *Calixto lib. de hæresi pag. 345.*)
 in Christianos sæviunt Muhammedani, jurati Christiani no-
 minis hostes, sicut sævit Rex Christianissimus, sed relicta Re-
 ligionis libertate, tolerant, solventesque tributum, publica
 quiete frui permittunt. Sed modo falcem in his mittere
 non licet; pluribus hæc autem exponet in *Disputatione sua in-*
augurali elegantissima de PROPAGATIONE FIDEI PER
FERRUM ET FLAMMAS Vir Pl. Rev. Nobiliss. & Præcullen-
 tiss. DN. BOGISLAUS Liebeherr/ Colberg à Pom. in Patria ad
Div. Greg. & Nicolai Pastor designatus, *Candid. Theolog. digniss.*
Fautor atq; Amicus N. Æstumatiss. Cujus in gratiam in primis
 hoc Programma, more veterum laudabili, scribimus, & vi-
 tæ hætenus probè gestæ curriculum exponimus. Cum
 verò ad felicitatis humanæ partem non postremam perti-
 nere videtur, si honesto loco nati simus, unde ad Culturam

ingenii aliquod proficisci potest momentū; Noster quoque Dn.
Candidatus singularis Divini beneficii loco habet, quod pri-
mā lucē vidit Colbergæ, quæ est *C. senioris Pomeran. & Urbs Ele-*
ctoralis Princeps celeberrima, quæ subsidia copiosius in omnē
humanæ vitæ utilitate suffectura dare potuit, unde ad om-
nem virtutis, & elegantiae cultum non leve Candidato N.
momentum accessit; sed majus adhuc, quod est *Nobilissima &*
Spectatissima ibi Familia Origene m duxerit. Pater quippe
ejus est per D. G. adhuc superstes, Vir Nobilissimus & Con-
sultissimus DN. FRIDERICUS Siebeherr / Consiliarius Ele-
ctoral: Brandenburg: eminentissimus, Vir & pietate erga De-
um & Meritis in Patriam gravis, ac in splendida Liebeherr-
orum familia hodie maximè conspicuus. Mater *viv. ex a. 1705*
fuit Nobilissima Matrona ELISABETHA Bergen / quam
sibi die XXV. Augusti currentis anni ereptam dolet & hodie
quam maximè. Avum nactus est Virum Nobiliss. Literatiss.
& Prudentissimum DN. JOHANNEM Siebeherrn Patri-
tium, ordinis Senatorii & Salinatorii Colbergensis spectatiss-
imum, ejusque uxorem est splendidissima ENGELBRECH-
TIANORUM Familia propagatam, foeminā lectissimam,
ceu aviam paternam. *Proavum paternum* laudat Virum
quondam Maximè Venerabilem & Clarissimum Dn. M. JO-
ACHIMUM Siebeherrn / Consistorii t. t. Ducalis Assessorē
splendidissimum, & Pastorem Districtus Colbergensis pri-
mariū, Theologum gravissimum, multisque scriptis su-
periori seculo publicatis & hodie illustrem, qui uxorem du-
xit est *Generosa Familia de Pribbernowen.* *in Materna Prosa-*
pia Avus ipsi contigit Vir Nobiliss. ac Consultiss. DN. THO-
MAS Berg / Patritius ac Consul Civitatis Colbergensis
per multos annos optimè meritus, & *Avia materna* ex No-
bilissima Familia *de Grasses.* Proavus maternus ipsi extitit
DN. ADAM Berg / Patritius suis meritis apud Col-
bergenses Clarissimus, cui matrimonii nexu copulata fu-
it ELISABETHA *Wlets* / virtutis splendore Clarissima
fce

foemina. Ex hifce generis juxta ac virtutum, meritorumque splendore tam Claris majoribus, ut reliquos (hic recensere magis fastuosum, quam necessarium est) jam tacendam ascendentes, Anno salutis MDCLXX. die IV. Mens. Dec. In lucem editus est *Fulgidissimus N. Candidatus*. Horum Parentum curæ acceptum omni observantia ac cultu filiali fert, quod, primum ad salutaris fidei fontem, quem Baptismum vocant & mox ad ejus fundamenta ritè percipiendâ à primis pueritiæ annis manuductus, & ne quid deesset inbibendis feliciter literarum rudimentis, donec ad altiora progressus fieret, optimorum privatissimorum in ædibus paternis Præceptorum institutioni concreditus fuit. Hos inter exactâ ad instruendam juventutem facilitate pollebant Viri Clariss. Dn. FELSCHIUS apud Hamburgenses hodie Causarû Patronus dexterimus. Dn. *Qöwe* apud Tilsenses in Electorali Prussia Advocatus quondam felicissimus, nunc inter Cœlites vivens. Admod Rev. Dn. PETRUS HILLIUS Pastor Nemerens. in Diocesi Colbergenf. fidelissimus. Sic primos pueritiæ annos in sinu parentum exegit, qui non modo assiduus monitis & domesticis exemplis tenellum formarunt; sed & latentes selectioris ingenii igniculos adhibitâ supralaudatorum virorum curâ feliciter elicuerunt: ita ut Anno mox ætatis XIV. ad Virum Maximè Reverendum & Excell. Dn. SYLVESTRUM GRABUM Superintend. per totam Citeriorem Pomeraniam gravissimum mitteretur, curæ specialissimæ hujus Eruditissimi Viri quam maximè commendatus. Qui & probè observaturus indolem Elegantissimi juvenis ipsum Hospitio excepit, & informandum dedit t. t. Clarissimo Domino SCHWIGOVIO Philol. & Philos. ac Theolog. cultori strenuo, dein Pastori Cammerensi in Pomeraniâ optimè merito jam denato, qui & suum discipulum per omne literarum eruditarum genus ad veri honestiq; cultum perduxit. Sed dum in eotutus Candidatus Noster per integrum biennium est, ut in ædibus GRABIANIS solida in elegantioribus Studiis poneret

poneret fundamenta, fato fungitur Venerandus suus Hospes
& Superatrendens. Vocatur E. abs optimis suis parentibus
ad patrios lares, qui eum committunt Spectatiff. fidei & hospi-
tio Clarissimi & Præcellentis DN. HÖSELII t. t. Con-Rectoris
post Rectoris Scholæ patriæ fidelissimi, è cujus privatissima
informatione majores subinde fecit progressus, in id unice &
sedulo annitens, ut ingenium moresq; ius adprobarer, in quo-
rum manu erat de illis rebus ferre censuram. Mox certus
factus Vir Magnificus atq; Consultiss. DN. MATTHEUS Siebher
Jctus magni nominis, Consiliarius Regius Specie & Duc. Luneb.
Civitatisq; N. superioribus annis Consul Splendidiss., & Syndicus
primarius & Fautor N. & Compatere quondam colendissimus, Patruus
Candidati N. Dexterrimus de eximio & boni cujuslibet capaci
ejus ingenio; cum paternæ sæpe indulgentia liberorum profe-
ctibus haud parum obsit, pro acumine summi sui ingenii ma-
ture & prudenter existimavit vocandum esse magnæ spei ju-
venem ex Patria ad Academiam hanc nostram. Assentien-
tes mox & habuit Magnificus Dominus Consul Parentes Can-
didati fulgidissimi N. prudentissimos, nil magis in votis habentes,
quàm ut benè sit filio suo jucundissimo. Alegarunt E. lau-
datum ad Dominum Patruum suum, ejusdemq; curæ pa-
ternæ totum commiserunt, qui & adventantem paternè ex-
cepit, quod factum *A. MDCLXXVIII. Mense Junio. Quo tem-*
pore & in numerum Civium Academicorum, scepra Univer-
sitatis tunc gerente Magnifico atq; Excellentissimo DN. CHRI-
STOPHORO REDEKERO, Jcto Celeberrimo & C. hodie Con-
sule Civitatis nostræ Seniore gravissimo, Fautore atque Affine N. Col-
endissimo, annum ætatis XVII. agens, receptus est. Civis Aca-
demie factus specialissimæ informationi Maxime Reverendi
& Excellentissimi vniév. DN. GOTHOFREDI WEISSII, t. t.
Græcæ Literaturæ in Academia. N. P. P. & ad Eadem Nicol. S. Ecclesiæ-
stis, post Doctoris Theologi & Superintendentis Ecclesiarum Civitat.
Lunenburgens. graviss. Fautoris ac Affinis & Collegæ quondam speci-
aliss. nunc desideratissimi commissus est, cujus & hospitio, &
quod

quod ad continuanda recto ordine atque felici successu studia attinet, consiliis & informatione privata solidissima in philoſ. Philog. & Theologicis per integrum triennium usus est. Excitabat & ardentem sciendi juvenem varia eruditio solidissimorum orbis testimonio Theologorum, Facultatis N. Assessorum, *Excell. Dn. SCHOMERI* Theologi jam pie defuncti, & *Maximè Venerandi Dn. JOH. FECHTII* tunc adventantis, Collegæ N. hodie Conjunctissimi, hos ille conatibus maximis & omni contentione nervorum audire, horum calcare in exprimendis pulcherrimis rarissimisque virtutibus vestigia. Atque sic pendeat abs omnigena eruditione acutissimi N. B. SCHOMERI in Collegiis Exegeticis, & Sinceri atque Amantissimi N. FECHTII, in Theticis, Polemicis & Historico-Ecclesiasticis. Venerandi hi Viri tantum commodi ad ejus studia profectusque contulerunt, ut quod hos & Præceptores in Theologicis nactus fuerit, id sibi magnopere nullo non tempore gratulari velit. Ultimis & temporibus factus est *Commensalis Viri Nobilissimi. Consult. & Excellentissimi Dn. JOH. SIBRANDI Antecessoris in hac Academiâ Senioris gravissimi, Affinis sui, Colendissimi, Favoris ac Collegæ N. Æstimatissimi*: non sat decantare potest Viri hujus eruditissimi solidos inter convivia discursus, & ex iis perceptos fructus. Postquam sic per aliquot annos Professores publicos studiosè audiverat, & omne in rem suam convertere non sine summa curâ allaboraverat, ultimum tempus in nostra Academiâ Collationibus s. Oppositionibus publicis, ferente sic occasione, & Concionibus S. non sine applausu auscultantium tempus trivit. Elapsis ita tribus annis in nostra Almam, consilio & Assensu suorum ad Celeberrimam Lipsiensium Academiam, bonarum & literarum officinam instructissimam, se contulit. Non hic morandum diu circumspectando videbatur, cumque ubique artium, & literarum cujuscunque generis fertilissima nundinatio se offerret, hanc ut bene

B

ne

nè utiliterqve institueret, ad eos se contulit, apud quos haud
fucatae merces exponebantur. Ibiqve in convictu Mxime
Reverendi atq; Excellentissimi DN. JOHANNIS SCHMI-
DII Theol. Lri, & Eloqv. P. P. vixit, quin & abs hocce Theo-
logo verè Orthodoxo & solertissimo in variis Theologiae &
Philosophiae partibus probè informatus eidem graviter ada-
hæsit. In Historiâ Ecclesiastica ad ductum *Histor. Eccles. Ce-
leberrimi SPANHEMII*, itidem *Celeberrimum Polybistorem
& Theolog. Excell. Dn. ITTIGIUM* cupidis auribus audivit.
Pependit & summa diligentia à Theologorum ibidem Sum-
morum ore, ut Excell. DN. JOHANNIS OLEARII, & sum-
mè Reverendi Dn. JOH. BENED. GAPZOVII, illum Theo-
logiam Moralem, & Casuisticam, & hunc Theologiam Ex-
egeticò Theoretico-practicam, & Practico Homileticam; Fa-
cundiss. *Famigeratissimique* nostri & quondam SELIGMANNI
*Amici & Collega ac fratris in Christo omni memoria recolendi, Col-
legia Homiletico-Theoretico-practica* summâ fide studioqve in-
terpretantium. Præter hæc quantum in omni Theologia ac
Philosophia Patronis ac Præceptoribus cum curâ suspicien-
dis debeat, cum id paucis exprimere non possit, grato pecto-
re complectitur. Cum jam totum biennium, & quod ex-
currit in jucundissima Lipsiensium Academia confecisset, do-
mum revocatur à Parentibus suis nobilissimis. Antequam
autem in Patriam contenderet, placuit Saxonicas Academias,
& illustres Civitates invisere, igitur *Jenam, Erfurtum, illustrem
Dresdam, Whitebergam &c.* adit, & celeberrimorum ibidem
Professorum, ac eruditissimorum conspectu ac colloquio si-
tibundum omnimodæ doctrinæ pectus opplevit. Finito
hocce itinere salvus & incolumis venerandis suis Parentibus
Celeberrimæq; Patriæ suæ est redditus. Substitit igitur Col-
bergæ per integrum ferè annum, animumq; interea tempo-
ris ad Homiletica & cathedram Ecclesiasticam applicavit, a-
liis tamen studiis non neglectis. Intra dictum tempus ultrò
sestitit *Eminentiss. Domino, HEILERO Superintend. Orientalis*
Pome-

Pomerania Generali, ac Examinatoribus Pastoribus Ordinariis
 Rev: Ministerii Stargardiensis, & mox honorifico testimo-
 nio dimissus est, quod ita sonat: *Laudabili more in Ducatu*
nostro Pomeranico sancitum est, ne facile ad officia publica sive in
Ecclesia, sive in Scholâ administranda admittatur, nec vocatio ipsi
à Patrono Ecclesie tradatur, nisi quis prævio tentamine, idoneo te-
stimonio instructus fuerit. Quod cum ad animum revocaverit
 DN. BOGISLAUS Liebeherr / Colbergâ Pomeranus, sperans fore
 ut aliquod Studiorum & vite habita testimonium poscatur, eo igitur
 ut instructus esset, maturè propter spem promotionis alicujus,
 Ecclesiastica operam dedit, nec frustra; nam obtinuit quod quæsi-
 rat, dum tale testimonium ipsi præbere nulli dubitavimus. Testa-
 mur ergo, & judicamus Superintendens Generalis, & Examinato-
 res Ordinarii Pastores prædictum DN. Liebeherrn esse idoneum ad
 docendam Ecclesiam in Civitate aliqua. Utatur ergo testimo-
 nio decenter apud Patronos Ecclesie, & alios quorum interest nosse,
 qualis DN. Liebeherr sit. Faxit Deus, ut aliquando spartam, quam
 publicè exornet, in Ecclesiâ Dei vel Scholâ Christiana inveniat, ad-
 sitq; ipsi porro Spiritus sui Sancti gratia, quo per ipsum gloria divi-
 ni nominis, & salus proximi feliciter promoveatur. Per scriptum
 Stargardie d. XXV. Octobr. 1693. Subscripti GUNTHERUS HEI-
 LER D, Ducatus Pomerania Orientalis & Principatus Cammin-
 nensis Superintendens Generalis. Cæterum, quia ardor & cupi-
 ditas usurpandi oculis discreta terrarum mariumq; interval-
 lis loca in Domino Candidato nostro quam maximè æstu-
 abat, impetrato assensu suorum iter Ao. 1695. in Hollandiam.
 Angliam, Germaniam, Hungariam parat, non tantum vari-
 as novaturientium hujus temporis Ingeniorum Opiniones,
 Sectas ac Religionum schismata cogniturus, cumq; præci-
 puis Sectarum variarum Doctoribus, ferente sic occasione,
 sermones collaturus; sed & præcipuè, ut ad instructissimas
 Bibliothecas, & Magnorum ac Doctissimorum Virorum
 benevolentiam & familiaritatem aditus sibi pare-
 tur. Colbergâ E. abiens, Sedinum primùm acces-

fit, magna ibidem delectatione ex colloquio cum viris Cla-
rissimis, quos inter Maximè Reverendum Dominum FA-
BRICIUM primo loco recenset, affectus. Hinc profectus *Bero-
linum* cum Celeberrimo SPENERO aliquoties contulit. Invisi &
Illustrissimas *Luneburg. Aulas. Hamburg.* veniens, non sat decan-
tare potest *humanitatem* & omnigenam eruditionem Excell.
Dn. MAYERI. T. t. adhuc & viventis HINKELMANNI, & Ma-
ximè pii EDZARDI. *Amstod.* Visitans, Dn. de LÖVEN Pro-
fess. Theol. in Gymnas. ibidem, ac decanta iss. BALTHAS:
BECKERUM mox convenit, & omnem controversiarum
statum, quæ tum in primis agitabantur, ex ipsis earum Auth.
cognovit; quid ibidem inter *Arminianos* LIMBURGIO præ-
reliquis acceptum ferat ex eruditis familiaribusque collo-
quiis, quid apud *Quackeros, Anabaptistas*, ipsos etiam *Refor-
matos & Socinianos* in suam utilitatem converterit prolixius re-
censere instituti nostri ratio non permittit. *Lugdun.* Batavorum
Eruditiss. SPANHEMI; & GRONOVII familiaritate usus est.
Tandem *Belgium* quoque *Regium Hispanicum* ingressus, &
lustrato illo, in *Angliam* secundo itinere delatus *Londini*
& *Oxonia* potissimum tempus traduxit, in quibus locis ad
instructissimas Bibliothecas, & magnorum ac Doctissimo-
rum virorum etiam Eorum, qui Reverendissimâ Episcopali
dignitate in Angliâ fulgent, benevolentiam & familiaritatem
aditus ipsi est patefactus. Inter illos honoris, & memoriæ Cau-
sa præcipue nominat, Dn. GILBERT. BURNET Episc. Sa-
lisburienf. D. WOOD. D. BERNHARDI. D. HYDE. D. WIL-
CAVE Theol. ac Philol. insignes, quorum singulari eruditioni,
ac amicitia se multum debere fatetur. *Cantabrigiensem* quo-
que adiit Academiam, ubi pariter Bibl. publica, & jucun-
dâ familiaritate LAUGHTONIS Bibliothecarij, in primis usus est
est. *Londinum* reversus spectator fuit sollemnissimæ Regiæ
deductionis funeris Reginae MARIE Magni Angliæ Regis
WILHELMI Conjugis illustrissimæ. Cum jam inter Anglos per
X. Menses versatus esset, ac linguam Anglicanam librosque va-
rios

rios sibi familiares fecisset, relegat iter in *Hollandiam*, atq; *Ultra*
jectum adiit, ibidemq; in familiarem optimi LEUSDENII
 GRÆVII, aliorumq; amicitiam venit. Ex *Hollandia* Rhenum
 ascendit, aditq; *Coloniam*, *Moguntium*, *Francfurtum ad*
Manum, *Noribergam*, *Altorfium*, *Ratisbonam*, *Augustam Vin-*
delicorum, *Monachium*, *Viennam*, ubi *Bibliotheca Cæsarea* perlu-
 strandæ nullam occasionē neglexit, ac aliquoties cum Illustri
 Domino DE NESSEL Confiliario Cæsareo & Bibliothecario fa-
 miliaria Colloquia benigne admissus, habuit, qvi &
 nonnullos elegantes tractatus à se conscriptos Domino Can-
 didato N. dono dedit, quod grato ad huc recolit animo. Hu-
 jus & Consilio in *Hungariam* ivit, *Presburgum*, *Gomorræ*q; adiit.
 Visis his, aliisq; & castellis, & urbibus ingruente jam hye-
 me ea viâ, quæ per *Moraviam*, *Bobemiam*, *Saxoniam*, *Lipsiam*
 ducit, ad jam dictam Acad. rediit, *Hospitem* & olim suum Ma-
 ximè Rev. DN. SCHMIDIUM mox adiit, hujus adhærebat la-
 teri perpetuò, ab hoc arripiebat avidè, quod ad instituendum
 ingenium, implendamq; mentem divinissima doctrinâ
 pertinebat, & perspicuè juxta ac exactissimè à fidelissimo
 Doctore tradebatur, atq; sub tanto Doctore, & Antecessore
 Collegia in *Systema Scherzerianum Examinatorium*, ac *Disputa-*
torum serio magis atq; magis cum insigni suo fructu habuit.
 Quod & Celeberrimum Theologum ac Historicum supra jam
 laudatum Dominum JTTIGIUM, Scholas in re literaria sub
 reditu suo aperientem, audire per hyemale tempus fuerit ipsi
 concessum, in eo quoq; felicitati suæ non additum nihil, jultè
 arbitratur. Revocatur jam abs suis Parentibus Domum Præ-
 celsens N. Candidatus; modestissimè iis ac Patronis paret,
 valedicit vitæ Academicæ defensa prorsus elegantissima & eru-
 ditiss. *Disputatione solenni: DE EPISCOPORUM PRIMITIUE ET*
MODERNÆ ECCLESIE DISCRIMINE sub Præsidio t. t. Spe-
 ctatiss. Facult: Theologic. Decani Maxime Rev. Magnifici,
 atq; Excellentiss. DN. JOHANNIS OLEARII, XII Maj. An.

no MDCXCVI. publicatâ, proprio Marte à se conscriptâ. De
qua Dissertatione excellentiss. suus Præses Theologus sine
furo & fraude in Epistolâ ad Nobilissimum Dn. Auctorem ita
inter alia scribit: *Nempe hic iuvenis tui, quod superiori anno se-
liciter absolvisti, fructus est, ut cum ipse in Angliâ testis oculatus &
auritus cognoveris, quantâ animorum contentione, quaestio de Epi-
scopi & Presbyteri distinctione, inter Episcopales, atq; Presbyteria-
nos agitetur, nunc Academia nostrâ, valedicturus, eruditionis haud
vulgare specimen in hac tuâ Dissertatione de Episcoporum primitivæ
& Modernæ Ecclesiæ discrimine, luci publicæ exponere possis &c.
& paulo post. Formam quod attinet quamquam paulo aliter, quâ
Ego forte, si res meæ fuisset arbitrii, animo destinasset, illa proces-
serit; quia tamen industriam singularem animadverti abs te,
Juvenum Doctissime, nec infeliciter adhibitam, nihil immutavi:
Cum haud raro fieri soleat, ut præclara Ingenua in liberiores cona-
tus libentius se excitent, si rigidioribus censuris non absterrean-
tur. Certe quæ scripsisti, prælia sunt, ut ultrò felicis ingenii, ac erudite
tractationis nomine commendari mereantur ea &c. Accedit in-
partem favoris promerendi præclara expectatio, quam de tuis
studiis firmiter concepisti, si Deus vitam tibi, quod opto, & men-
tem vere laudis ac virtutis semper studiosam ac memorem conservave-
rit, &c. Hocce testimonio haud fucato stipatus domum An.
1696. Mens. Jun. redit DN. Candidatus N. ac inter felicitates
suas primas numerat, quod salvos & incolumes Venerandos
suos Parentes, præiens ipse salvus venerari potuerit. Quæ iâ
summo cum gaudio huncce suum BOGISLAUM reducem
exceperunt, verum non Parentes & sanguine junctos tantum
reperit sed etiam in Republ. & Ecclesiâ magnos meritosq;
Viros, quæ famâ, peregrinationibus & lucubrationibus Clariss.
Dn. Candidati, excitata commoti, Colbergæ optima quæque
ominabantur. Decet fanè Patriæ & Ecclesiæ Patres in-
signiter lætari, si suæ Civitatis juventam in publicum decus
maturefcere conspexerint. Noluit autem tempus in Patriâ
otio*

otio terere, Studio E. Homiletico & praxi Concionatoriae se totum dedit, sapiusculè è Cathedris Ecclesiasticis sermonem sacrum faciens. Et quamvis lubens denuo visitasset loca illustria in emolumentum majus studiorum suorum precibus tamen svavissimorum Parentum, ac Patronorum quorundam promissis vinctus, Patriae vitam (posthabitis aliis ac tacitè suppressis vocationibus ipsi oblatis) dicere totus animum sumisit. Hinc factum, Deo immortalis approbante, ut superioris Mensis Octob. die 3. abs Nobilissimis Amplissimisque *Ordinis Senatorii Colbergensis* Patribus, nemine in alterius cujusdam partes transeunte, Electio & Vocatio in locum, quem suo abitu beato Vir de Ecclesiâ Colbergensi optimè meritis Pl. Reverendus atque Clarissimus Dn. DANIEL KRUGERUS vacantem fecerat, ad Pastoratatum ad Div. Georgii & Nicol. Candidato N. Splendidiss. obtigerit, *Faxit Arch-Episcopus animarum nostrarum Jesus Christus, ut sui Organon electum Dei T. O. M. portans nomen suum coram S. Israe!* Vocatus sic ad dictum Pastoratatum (testantibus literis Vocatoriis in Originali productis) ad nos venit superioris mensis die 20. dilectissimus Hospes, apud me ut p. t. Decanum Facultatis Theologicae professus est, quid superiorum & amicorum Consiliis audere necesse habeat, inque literis ad Facultatem N. datis pluribus probavit, ac omni humanitate petiit, ut sibi tanquam fidei Academiae N. quondam Civi acceptissimo de honoribus conferendis testimonio ad ulteriores campum aperire progressus velimus; simulque testatus est, se non moveri vel animi audaciâ, & quâdam cordis arrogantia, vel aliò quòpiam quod humanos sapit affectus; Sed unice Fautorū & amicorum jussu, accedere in primis & pium voluntatis suae dubiè hærentis cal. ar. sc. piæ memoriæ Dn. Patri sui Viri quondam Magnif. supra jam laudati MATH. Liebeherrn ultimam voluntatem, qui in suo solenni testamento honorifico Nostro in beaverat legato, hanc tamen adjecta clausula, ut in studio Theol. cui semel nomen dederat, immutabilis maneret, & tandem

tandem ferente occasione Doctoris titulum, & privilegia sibi ju-
 ste compararet. Itaque ad Collegium Theologicum deferre hone-
 stissima desideria Pl. Reverendi Dn. Candidati nullatenus dubitavi.
 Mox & Collegium Venerandum perspectis supra enarratis momentis
 annuit illis, iussitque, ut illi dies diceretur, quo Examine privato tam
 pro Baccalaureatu, quam Superiori Gradu instituerentur pia collo-
 quia. Dictus sic dies est 27. Octobr. in quo Examine, quod vocant
 rigerosum primo pro Baccalaureatu, libris Symbolicis & Articulis fi-
 dei ibidem definitis, fuit habitum. Expedito eo, ad alterum pro supe-
 riori gradu ex universo corpore Biblico, & Historia Ecclesiastica fu-
 it admissus, in quibus cum testatus nobis esset lectionem multiplicem,
 iudicium promptum, facundiam linguæ, confessionem sinceram, ul-
 terius ipsi progrediendi, & ad publicum examen sese sistendi fe-
 cimus potestatem; ut & in publica luce vires ingenii, & Profectus
 laudabiles studiorum Theologicorum toti Academiæ probet, lætoq;
 cum applausu omnium ad honores, suo tempore, ipsi conferendos
 adspiret. Debuisse quidem etiam secundum renovata Facultatis sta-
 tuta seorsim præmittere Disputationem inauguralem pro Baccalaure-
 atu, ut etiam pro eodem seorsim examen sustinuit; sed quia Fa-
 cultatis Statuta de Baccalaureis extraneum excipiunt, de cujus eru-
 ditione nobis constat, statim Eundem ad Disputationem Inaugura-
 lem pro Licentia summum in Theologia gradum obtinendâ admit-
 tere volumus. Cui proinde Disputationi Inaugurali quæ consensu
 nostro illustrem controversiam: De PROPAGATIONE FIDEI PER
 FERRUM & FLAMMAS exhibet, instantem VIII. Decembris diem
 DEO SOSPITANTE nuncupavimus, igitur MAGNIFICUM DN.
 RECTOREM, & Excellentissimos cuiusq; Facultatis Professores ali-
 osque sive gradu Academico sive officiis in utraque Republ. splen-
 didos & omnes literarum S. Æstimatores, tum Rev. Facultatis Theo-
 logicæ, tum meo nomine observanter obnixeq; rogo, ut Actui Reli-
 gioso frequenter benevoleq; interesse, ac Fulgidissimum Candida-
 tum Nostrum omni benivolentiâ complecti velint.

*Dominus Iesus unicus Servator noster dirigat omnia ad Throni sui gloriam,
 ad Ecclesie preesse & desolate stabilimentum, ad veritatis salvi-
 fisæ Propagationem, & ad errantium conversionem.*

FIAT, O JESU FIAT!

Publicatum, & Sigillo Facult. Theologicæ firmatum
 Dominica I. Adventus Domini Anno. MDCXCVIII,

otio terere, Studio E. Homiletico & torum dedit, sæpiusculè è Cathedri- nem sacrum faciens. Et quamvis loca illustria in emolumentum ma- precibus tamen svavissimorum Pa- rum quorundam promissis vincit- habitis aliis ac tacitè suppressis vocati- re totus animum sumsit. Hinc facti- probante, ut superioris Mensis Octob- Amplissimisqve *Ordinis Senatorii Col-* mine in alterius cujusdam partes trat- catio in locum, quem suo abitu beato- genfi optimè meritis Pl. Reveren- Dn. DANIEL KRUGERUS vacan- ratum ad Div. Georgii & Nicol. Ca- didiff. obtigerit, *Faxit Archi-Episcopus as- Cbristus, ut sit Organon electum Dei T.O. coram S. Israe!* Vocatus sic ad dictum I- literis Vocatoriis in Originali producti- oris mensis die 20. dilectissimus Hosp- canum Facultatis Theologicæ profess- & amicorum Consiliis audere necess- Facultatem N. datis pluribus probavit- petiit, ut sibi tanquam fidei Acader- acceptissimo de honoribus conferendi- ores campum aperire progressus velim- Se non moveri vel animi audaciâ, &- gantia vel aliô quôpiam quod human- nicè Fautorū & amicorum jussu, acceden- luntatis suæ dubiè hærentis cal- ar, se. pi- *sui Viri quondã Magnif. supra jam laudati-* timã voluntatem, qui in suo solenni tes- strum beaverat legato, hâc tamen ad- dio Theol. cui semel nomen dederat,

ionatoriæ se-
icis fermo-
no visitasset
um suorum
e Patrono-
itam (post-
oblatis) dica-
mortali ap-
Nobilissimis
tribus, ne-
etio & Vo-
esiâ Colber-
Clarissimus
ad Pastora-
N. Splen-
rarum Jesus
nomen suum
testantibus
enit superi-
ut p. t. De-
uperiorum
q literis ad
umanitate
ndam Civi-
ad ulteri-
testatus est,
ordis arro-
tus; Sed u-
& pium vo-
DN. Patru
eherrn ul-
orifico No-
a, ut in stu-
naneret, &
tandem

